



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Quadratum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A Rota quippe posteriore parte attollitur, anteriore cadit. Posteriora sunt bona fortuna, quæ quia nostra non sunt, ea nobiscum transportare non possumus, ideoque à tergo relinquuntur. Anteriora sunt æterna, & quæ nos assidue comitantur, imo nos præcedunt, seque duces, quo progrediendum sit, exhibent. Impurus igitur & imperitus rerum, cum fortunæ bonis augetur, a versus retro faciem quæ æterna sunt obliviscitur, atque ita fit, ut anteriore parte neglecta præceps eat: nam posterioris, quæ attolli videtur, admiratione captus, in quam rapiatur, voraginem animadvertere nequaquam potest, atque ita præcipitatur.

Anteriora
& posteriora
Rota
quid.

DE QUADRATO. CAP. XXIX.

A B egregie mobili figura ad maxime stabilem transire quodam veluti antipathix loco visum est: quippe ut vario eo delassatus motu, firmitatis istius occasione quietem aliquam aucuparet. De quadrangulari igitur figura differemus, quæ multipliciter descripta, multas idemdem præ se fert significationes.

ANNUS SOLARIS. CAP. XXX.

Quarum prima illa est, quam initio commentarii super Idide tetigimus, Ægyptios quippe duas anni rationes habuisse, unam qua vertentem, CCCLXV. diebus, & horis senis, agnoscebant: alteram, qua Sotheos ortum quarto quoque anno quadrantibus illis diei quatuor in unum contractis, observabant supputationi hujusmodi respondere. Cum vero jugerum centum cubitis dimetirentur, quartam jugeris, quæ scilicet cubitis XXV. clauderetur, pro sex horis quæ unoquoque anno superabant, accipere consueverunt, ac perinde vertentem annum intelligebant, cui quarta illa diei pars addita, quarto quoque absoluto, dies etiam unus intercalaris ex quartis illis adauctus adiciebatur. Sed quoniam hæc & alia multa superius super anni ratione differuimus, ea repetere supervacaneum esset & importunum.

Annus
terrens, &
Sæcularis.

SAPIENTIA. CAP. XXXI.

V Eluti vero Fortunam rotundo lapidi insidentem pingere veteres instituerunt, ita Sapientiam in quadrato statuebant, ex hoc hieroglyphico volubilem illam, uti paulo ante diximus, hujusmodi sedem firmam & inconcussam indicantes. Et nostri quadrata ligna quæ ad arcæ Noes fabricam parari divinum iussit numen, Doctores & magistros in Ecclesia significare dicunt, quorum sapientia inclusi intus populi conservantur, & ab incurstantibus hæreticorum procellis muniuntur. Ex quadratis enim lignis construere debere nos Bibliothecam admonet Adamantius, non ex aggregabilibus, rudibus, & impolitis: quippe Prophetis & Apostolicis voluminibus, in quibus, solis vera continetur sapientia, utpote qui vitis omnibus refectis excisisque, quadratum vitæ justioris tenorem, & ex omni parte libratum præ se ferant.

Ligna quadrata
in arca
Noes
quid.

MERCURIUS. CAP. XXXII.

C Umque apud veteres Mercurius sapientix Deus haberetur, Hermæ illa apud Athenienses fieri solita, quadrati quippe lapides, quos tum in privatarum, tum in sacrarum ædium vestibulis ponere consueverunt: ut significaretur, rationem & veritatem perinde ut forma quadrata rectam semper stare. Nam rationis & veritatis Deus, Mercurius antiquis erat.

Sed & Mercurius
quadrato
stata
figurabatur.

JUPITER. CAP. XXXIII.

A Pud Arcadas non Mercurii tantum, sed & Jovis, & aliorum deorum simulachra quadrantalia fieri solita, Paulanias author est: nempe ut eorum inde stabilitas significaretur. Jupiter enim ipse manens stabilis, dat cuncta moveri, ut veteres Poetæ canunt. Nam & Hermæ à firmitudine nominis quod herma fundamentum fit.

Macr. Sa-
tur. l. i. c. 19.
Ægæa sta-
bili mentis
à ceteris id
est, neco.

VIR PROBUS. CAP. XXXIV.

Quantum vero pertinet ad virtutes, quadrata forma virum ea de causa probum dicimus, quod cubica figuræ species quoque versum jacta versataque fuerit, recta semper consistit, quatuor lineis, & totidem angulis semper insignis. Hinc illud, ἀγαθὸς ἀληθὴς ὁ τετραγώνος ἀνὴρ. ὁ δὲ γὰρ τετραγώνος ἀνὴρ ὁ τετραγώνος ἀνὴρ. Quadrangulus revera probus, nullique obnoxius vituperationi, quod tangit Aristoteles Ethic. primo, vir quid.

Sumptum
ab Aristot.
Ethic. lib. i.
Quadratum
vir quid.

